

Circumstantiæ sepulture exprimentur hæ: 1. Personæ nominantur, quæ Christum sepeliuerunt. 2. Modus, seu forma ipsius sepulture describitur. 3. Locus, vbi sit sepultus, indicatur. 4. Tempus etiam quando sepultus sit assignatur.

I. Personæ, quæ Christum sepelierunt fuere Ioseph & Nicodemus. Vterq; autem diligenter ab Euangelistis describitur. Ille quidē quod fuerit 1. Diues. 2. Senator nobilis. 3. Vir bonus, & iustus. 4. Quod decreto, & consilio Iudeorum de interficiendo Christo non sit assensus. 5. Quod fuerit discipulus Iesu, sed occultus, exspectans tamen regnum Dei. Hic verò, 1. Quod fuerit is, qui venerat ad Iesum nocte. 2. Quod itidem fuerit discipulus Christi occultus. 3. Quod ad Christum honorifice sepeliendum preciosi vnguenti non exiguam quātitatē insumserit.

II. Modus, seu forma sepulture, hæc ab Euangelistis notatur. 1. Iosephus tantā fiduciā Pilatum accessit. Hanc fiduciam Marcus speciatim in ipso celebrare voluit: quia non leuis momenti ausus fuit, contra totum Iudæorū synedrion, & omnium collegarū suorum decretum, hominis damnati, & publicè supplicio affecti causam in se suscipere, vnde omnes intelligere possent, improbare se, quicquid prius in hūc Iesum tum decretum, tum designatum fuerit.

Mouit autē ad hoc Iosephū. 1. quod veritus est, ne in cruce relictus Christus aut in sepult^o abiectus ludibriū aut violētiam hostiū experiretur. 2. quod sciret corpora eorū qui supplicio erant affecti, etiā post mortē in Magistratus arbitrio & potestate esse.

2. Ad Pilatum veniens, fidem suam testatur apertè. 1. petēdo corpus Christi, tanquā preciosissimum thesaurum. 2. sumendo illud de cruce omni ignominiā coram mundo superatā.

3. Sumptum corpus inuoluit puræ Syndoni, eaq; nouæ, quā in hunc finē sibi cōparauerat. Qua in re *ωδυσσολιν*, & adiutorem ipsi diuina prouidentia adiunxit Nicodemum, qui attulit aromata, quibus, ad morem Iudaicæ sepulture, Christum, de quo dum viueret honorificè vterque senserat, etiam honorificè cōditum sepelire voluit. Atq; ita conueniebat omnino, vt Christus

abo-